

ritatis in luce esse poterat? Quid nobis illa disquisitione significare voluit? Respondet Oleaster: Existimo, hoc mihi dicere velle, ut examinem, et discernam ego tenebras meas, siquidem ille tam studiose examinat lucem suam. Judicio ergo laborare probat, qui non tota diligentia, omnique sollicitudine ad futurum Dei Judicium se comparat, quando et Judex ipse suo exemplo pramonstravit, quid hac in re agere debeamus, si justitiam illius evadere, et effugere vindictam volumus. OSENTER, apud Nyss. l. c.

Neronem, Romanæ narrant historia, Consulibus et Senatorum Principibus persuasisse, ut, posito tantisper supercilio, missisque seris, larvas subirent, et in Caesaris gratiam, Romano in foro saltum histrionicum duerent. Armata fuerunt Caesaris preces, quibus adacti Seniores larvas deridiculas induunt, in forum prosiliunt, choreas agunt, verum medio in saltu submissi a Nerone satellites, personas saltatoribus detrahunt, et senatoriam producunt levitatem. Quod dedecus tam grave confusus accidit, ut nonnulli pudore exanimati corruerint in mortuos, alii perpetua rotati amentia, non prius respicere coperint, quam vivere desierint. Quantus ergo pudor, furor, timor, in die Judicii peccatores occupabit, cum præsertim membra illa, quibus abusi contra Deum et naturam sunt, turpissima et stigmatica videbunt, ut velut in viva tabula, omnia legantur scelera? HARTINCK. *Conc. rust. in Dom. Advent.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Josue septem diebus cum Arca circumbat muros civitatis Jericho, tuba clangens, quod figura erat Judicis; nam et tunc ante quam mundus per lunam (quam Jericho significat) figuratus pereat, sol et alia sidera, que sunt militia celestis, ipsum insolito cursu circumibunt, signaque dabunt. Jos. vi.

Cor sapientis in dextera illius, et cor stulti in sinistra ejus, ait Salomon, quia justus omnia sua cogitata refert ad dextram Judicis ac Dei gloriam; stultus vero cogitationibus ad sinistram se vertit. Eccl. xx, 2. De minimis non curat Prætor, aiunt juriste; sed vel maxime Deus, quia, teste S. Bernardo, nihil inscrutum relinquet oculis ejus. S. BERN. s. LV, in *Cont.*

Si duo folia sumantur, et in altero quidpiam aqua, in altero quid succo citri scribatur, nihil quidem in utroque apparebit, sed si ad ignem applicentur, multa in posteriore, nihil in priore folio scriptum reperietur; sic se res cum conscientia justorum et injustorum habebit, nam in illa, quia per aquam tribulationum scribitur, nihil in Judicio mali apparebit; plurima autem peccata in conscientia malorum legentur. IXCHIX. p. II, c. v.

QUANTITAS. — Cum Philippus II, Hispaniarum Rex duos e magnatibus in templo garrientes vidisset, et post rem divinam ad conclave rediens dixisset ad illos: Vos in conspectum meum amplius non venite! Adeo hæ voces illos turbant, ut alter mærore sensim contabuerit, alter stupido similis in omnem vitam manserit. Ad quem effectum illa Christi verba: *Discedite a me, maledicti!* producent? DREX. *In Trib.*, cap. IX, l. II.

Recte ratiocinatus est S. Fulgentius: Si sanguinarius Herodes timuit infantiam in feno cubantis, quanto magis timere debemus omnipotentiam judicantis? S. FULG. s. v de *Epiph.*

Ubi Joseph dixit fratribus: Ego sum Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægypto, non potuerunt respondere, nimio terrore perterriti. Quid dicent peccatores, si Christum in Judicio dicentem audient: Ego sum Frater vester, quem vos crucifixistis, et vilissimo peccati pretio toties vendidistis? GRAN. in *Loc. Com.*, f. 823.

Hæretici quidam accepta mortis sententia, ne in publicum prodire cogerentur, sibi ipsis mortem consciverunt. Quam acerbum erit coram toto mundo damnationis sententiam audire? Ibid.

UTILITAS. — Asina Balaam viso muerone Angeli, retro cessit; nam visa Judicis romphæa, peccator ad scelera progreditur? NUM. XII.

Rex Sicambrorum Basanes in insignibus suis nudum ensem cum laqueo habebat, addita epigraphe: *Discite justitiam mori!* Ps. VII, 18. Ita Deus gladium et arcum, teste David dicente: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum.

Hosius, Episcopus Cordubensis, ad Constantinum Imperatorem coercendum scripsit: Desine, memineris te mortalem esse, reformida diem Judicii, serva te in illam diem

purum, ne te misceas Ecclesiasticis. BESSÆUS, in *conc. l de Judic.*

Anchoreta quidam interrogatus, cujus libri lectione potissimum teneretur? Nullius, respondit, nisi trifoliaris, cujus folio nigro moneretur mortis; candido beatitudinis; rubro judicis. Ibid.

Myssenie mulieres hoc uno timore a seipsis perimendis abstinebantur, quod propalatum fuerit, eas nudas ad sepulchrum rapiendas. PLUTARCH. de *Instig. mulier.*

Ludovicus, pius Imperator, cum anno octingentesimo trigesimo septimo cometa appareret, sciens, his fere signis mortem Principum portendi, dixit: Non alium timere debemus, præter illum, qui nostri et hujus sideris Creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare et imitari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores et impenitentes, talibus iudiciis dignatur admonere. Quia ergo, et me, et omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante, et nostra impenitentia impediante, nos illa inveniamur indigni. His diebus noctem illam pervigilem duxit, et mane largissimas elemosynas pauperibus erogavit, Missasque, per quos potuit, celebrari fecit. Triennio post in lethalem morbum incidit, per dies quadraginta quotidie Eucharistiam sumpsit, thesaurum privatum pauperibus distribuit, rebelli filio injurias remisit, pectus cruce munit, Dæmones apparentes fugavit, et elatis in cœlum oculis spiritum Deo reddidit. BARON. an. 738 et 840.

AXIOMATA.

Non judicari vis? Te ipsum judica. DREXEL. in *Trib.* l. I, c. VII.

Amans de amante judicans, non judicatur. Judicio amantis nil indulgentius.

Nolite judicare, et non judicabimini. LUC VI, 37.

Qui timet judicem, cavet culpam. Judicis est recti, nec munere, nec prece flecti. BUCHL. V. *Judex.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, in *Tribunali*.
Gabriel Inehimus, de *Noëssimis* p. II.
Petrus Canisius, tom. IV, de *Noëssis*.

Petrus Bessaens, de *Noëssimis*, p. V.
Philippus d'Outreman, in *Pædagogico Christiano*, p. I, c. VIII, §. te 7.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Commun.* fol. 816.

Thomas Stapletonus, text. I, in *Dom. 1. Adv.* et text. IX, *Dom. 3, post Epiph.* et text. IV, *Dom. 4, post Pasch.* et text. VI, et VII, *Dom. 4. Pent.*

Mathias Faber, conc. III, IV, V, VI, VII, in *Dom. 1 Adv.* et conc. II, ac. III, in *Dom. 2 Adv.*, item conc. III, in *Dom. 3, et 4 Adv.*, iterum conc. VIII, in *Dom. 21, et conc. v, et VI, in Dom. 24, post Pent.*

Joannes Dærens, in *Locis Similib.* V. eod.

Josephus Langius, in *Polyonthe.* V. eod.

Joannes Major, in *Magno Spec. Exempl.* 5. eod.

Joannes Lopez, in *Epitome.* V. eod.

Jacobus Salianus, de *Timore Dei*, lib. pe-nult.

Gregorius Reb, in *Reg. Prud.* p. I, c. II.

Dionysius Carthus, de 4. *Noëssis.* a. c. XVI.

Ludovicus Granat. in *Duce Peccatorum* c. VIII.

JUDICIUM TEMERARIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est actus intellectus, quo alienos mores et facta sine legitima auctoritate et causa judicamus; nam si constat de facto, et ex officio incumbat, illius correctionem suscipere, non modo non peccatur illud judicando, sed laudabilis etiam Justitiæ et Charitatis fraternalis actus exereetur. STAPLET. text. II, in *Dom. 1, post Pent.*

DIVISIO. — Dividitur in *Temerarium* et *Usurpatum* a Stapletono. *Temerarium* est, quando ob leves conjecturas et indicia actio aliena mala ac peccaminosa judicatur, et ab aliquibus *Detractio interna* appellatur, eo quod vere famam alterius in mente sinistre judicantis immutat; de qua Christus in Evangelio locutus est, dum dixit: Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate. Joan. VII, 24. *Usurpatum* vocat citatus auctor, quando quis de crimine quidem comperto, sed sine legitima auctoritate judicatur; ut si quis actum alterius malum ex odio, fastu, libidine reprehend-

dendi iudicandum suscipiat; de quo S. Paulus locutus est, dum dixit: Tu quis es, qui alienum iudicas servum? ROM. XIV. 4. De priore tamen, quoniam crebrius ab hominibus exercetur, potissimum deinceps sermo erit.

ACTUS. — Primus est, *ex sola externa facie alium criminosum iudicare*; quomodo Socratem olim quis ebriosum temere iudicavit eo quod faciem solito rubicundiorē haberet.

Secundus est, *actionem de se indifferentem perverso fine factam interpretari*; ut si quis Sacerdotem in domum suspecte mulieris intrantem iudicet ex intentione cum ea peccandi ingressum esse, cum tamen is ad ejusdem confessionem excipiendam intrarit.

Tertius, *de actione alterius apparenter bona et virtuosa sinistram iudicium ferre*, quemadmodum Heli olim Annam Samuelis matrem ferventius orantem in Templo, merobibulam, vinoque ebriam iudicavit.

Quartus, *alienam actionem minus, quam censeri oporteret, bonam ac laudabilem iudicare*; ut si quis aliquem elemosynas dantem videns, iudicet ex alieno marsupio dedisse.

Quintus, *ex actu vitioso unico commisso proximum habitualiter talem esse iudicare*; ut si quis alterum semel ebriosum advertens, temere iudicet, ebriosum, vinoque multum deditum esse.

Sextus est, *ex facto unius personæ vitioso totam aliquam communitatem vitiosam iudicare*; ut si quis Religiosos certi Ordinis, avaros aut luxuriae deditos iudicet, eo quod unum in simili crimine deprehensum audiat.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Si vere utique Iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum. PSAL. LVII. 1.

Tu quis es, qui alienum iudicas servum? Domino suo stat, aut cadit. ROM. XIV. 4. Quid mihi de iis, quæ foris sunt, iudicare? COR. V. 12.

In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. ECCL. X. 3.

FIGA. — Nolite iudicare, ut non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini. MATH. VII. 5.

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. IREN. VII. 34.

Non ergo amplius invicem iudicemus.

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum vel scandalum Fratris. ROM. XIV. 4.

Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. I. COR. IV. 3.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas. ROM. II. 1.

Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. ISAIAS, V. 20.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS

QUALITAS. — Grave est de alio iudicare. Unde etiam scriptum est: Nolite iudicare, et non iudicamini; cum enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in altero putaverit puniendam. S. AMB. in PSAL. CVIII.

Ob hoc iudicare de aliis periculosum est, quod ignorantes vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimus, aut recte coram Deo, aut venialiter agunt, invenimus eos temere iudicasse, et per hoc admittimus non leve peccatum. CASSIAN. I. V. c. XXX.

Stulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto sua profundius ignorant. S. GREGOR. in MOR.

Humanæ mentis est proprium, hoc sibi fieri suspicari, quod facit. Idem, I. XIV. MORAL. c. 1.

Comparavit (Christus) proximi peccatum festuce, iudicium vero trabi, usque adeo grave et insuave est, proximum iudicare, ut fere omne peccatum excedat. S. DOROTH. SERM. VI.

In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. S. AUG. s. XLVII. DE TEMP.

Sunt aliqui, qui de omnibus male iudicant. Dicunt enim, si quis studet humilitati, hypocrita est; si recreationi, gulosus est; si patientiæ, timidus est; si iustitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, phlegmaticus est; si iucunditati, dissolutus est; si Religiosi, singularis est; si societati, sæcularis est;

si silentio et paci, dissimulator est; si aliorum correptioni, presumptuosus est; si instat vigilis et orationibus, indiscretus est; si dormitioni, somnolentus est; si prædicationi et aliorum salutem, appetitor laudis est; si desistat, negligens est; si habet gratiam hominum, adulari est; si adulari renuit, superbus est. S. GREG. in MOR.

Videntur tales amare malum fraternum; constat enim, quod iudicium, quo indefinite asserunt esse malos eos, ex affectu inclinante eos, trahit ad sentiendum male de eis. Includit igitur, et nutrit absconditum venenum et odium. S. BERNAR. SENENS. I. II. SER. XIV. ART. 4. c. III.

Quid magis aversatur et abominatur Deus, inquit S. Dorotheus, quam crimen hoc, ut prælere omnes asserunt Patres nostri? Quandoquidem nihil pejus, nihil deterius, quam proximum iudicare censuerunt. S. DOROTH. SER. VI.

Adeo grave et molestum est, de quovis peccato iudicare, ut Christus in Evangelio apte dixerit: « Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, et tunc poteris eijcere festucam de oculo fratris tui. » Comparavit proximi peccatum festuce, iudicium vero trabi, usque ad adeo grave et insuave est, proximum iudicare, ut fere omne peccatum excedat. Ibidem.

Maxime hi temere iudicant, qui de meritis aliorum facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere; quod vitium vel superbiæ est vel, invidia. S. AUGUST. SER. DOM. in MONTE.

FIGA. — Nolite hominem criminoso arguere, nolite iudicare servum Domini, suo enim Domino stat, aut cadit. Ejus est iudicium, qui scrutatur renes et corda, qui scrutatur Jerusalem in lucernis, cui cogitatio hominis confitetur. Et soli relinquatur iudicium, cui omne iudicium dedit Pater. PETER. BLESS. EP. XLV.

Sunt homines, qui ea facilitate alios de malo iudicant, ac si quæ in corde eorum sunt, eo acumine viderent, quo Deus scrutatur renes et corda; quos locus iste arguere videtur, qui non permittit, Sacerdotem facile hominem leprosum iudicare, sed prius multis diebus includere, et iudicium suspendere. Quod si Dominus non sinit Sacerdotem suum statim de lepra, quam oculis cernitur, discernere, quomodo te permittet de cordis malitia proximum temere iudicare? OLEASTER, in c. XI. Sap.

Quid nobis de proximo? Quid nobis de alieno et malo peccato? Habemus in nobis, quod curemus; habemus, quid cogitare et satagere debeamus, unusquisque nostrum attendat sibi ipsi, et sua ipsius mala caveat. S. DONOTH.

Debet quisque proprias virtutes perpendere, et pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne, dum delectatur bono gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ; et qui gravatur pondere suarum, velit fieri iudex alienarum culparum; durum enim est, ut, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ iudex fiat vitæ aliene. S. GREG. SUP. ECCL. VII.

Aliter hominum livor, aliter Christus iudicat; non eadem est sententia tribunalis ejus, et anguli susurrorum. Multe vitæ videntur hominibus iustæ, quæ postea reperiuntur prave. Et in testaceis vasibus aurum sæpe reconditur. Petrum ter negantem amaræ in summa locum restituerit lacrymæ. Cui plus dimittitur, plus amat. S. HIER. EP. XXXIX.

Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cavere debemus; cum incertum est, quo animo quidque factum fuerit; vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant; neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. S. AUGUST. I. II. c. XXVIII.

Quid perdo, si credo, quia bonus est? Si incertum est, utrum sit malus, licet quidem, ut caveas, ne forte verum sit, non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax jubet. Quære pacem, ait, et sequere eam. S. AUG. SUP. PSAL. CXLVII.

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se ipso quod condemnet; iudicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putaverit esse puniendam, ne, cum de alia iudicet, in se ipsum sententiam ferat; iudicet ille qui ad pronuntiandum nullum odio, nulla levitate ducitur. S. AMBROS. SUPER ILLUD: BEATI IMMACUL.

DAMNUM. — Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere iudicatur; ei autem, qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. S. AUG. I. II. in SER. DOM. in MONTE.

Si malum est, propria peccata non cernere, duplex jam aut triplex peccatum est, iudicare alios, et in suo oculo trabem absque dolore gestare; omni quippe trabe gravius est. S. CURYS. HOM. XXIV in MATH.

Peccavit aliquis, et alium idem committentem peccatum condemnavit. Is in die illo valde amaro non eam poenam luct, quam peccati natura exposcit, sed majorem, quam duplicem et triplicem, non propter id quod ipse peccavit, sed quod alium judicavit; et ideo in eum sententiam feret Deus. D. CHRYS. t. V, s. XVII.

Qui se ad judicandum exercet, inquit S. Cyrillus, non tantum divinum et altissimum thronum invadit; sed in ipsam ineffabilem gloriam se peccare sciat, qua non nisi recte et juste judicare novit. S. CYRILL. ALEX. in c. i. *Deut.*

Nil adeo provocat Deum ad iram, nihil ita hominem spoliat, et omni presidio ac virtute denuat, nec ad summum discrimen adducit, ut proximum judicare, et condemnare, et nihil eum ducere. S. DOROTH. l. c.

Fieri non potest, quin in manum divinæ iræ incidas, quandoquidem tam audax es, ut iudicium Dei fueris. Homo quippe videt, quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor. DID. STEL. apud Mansi, tr. XLVII, disc. in n. 5.

Quod si is (Pharisæus Evangelicus) qui nihil peccavit, et peccantem alium (qui manifestus erat omnibus) verbo brevi condemnavit, tantum jacturæ fecit, et in tantum est punitus; qui multum quotidie peccant, aliorumque vilam condemnant, cogita quantum su sustinebunt poenam? Quomodo omni venia excident? In quo enim iudicio iudicatis, inquit, condemnabimini. S. CHRYS. t. V, § 17.

Nos miseri citra delictum judicamus, fastidimus, odimusque, ac nihili facimus, quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid tandem suspectum habemus; et quod longe gravius est, non malo ac damno nostro contenti, ceteros in communem ruinam pertrahimus. Quemcumque enim ex fratribus nostris obvium habuerimus, confestim illum alloquimur, ac dicimus: Illud et illud effectum est, eique pariter nocemus, dum cordi ejus pravas cogitationes, lutulentasque cloacæ ingerimus; nec eum timeamus, qui dicit: Vae, vae illi, qui proximo suo turbidam subversionis potionem propinat! Cæterum dum hoc agimus, Dæmonis peragimus munus ac opus. Neque id cura prorsus nobis. Quod enim opus aliud agit Dæmon, quam ludere, et obturbare quemquam? itaque Dæmonum sumus coadjutores

et cooperatores, in nostram ipsorum, ac proximorum, perniciem et ruinam. S. DOROTH. Serin. vi.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, leviter peccat; seipsum vero judicando et discutiendo semper fructuose laborat. Lib. I, c. XIV, § 1.

Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus; nam verum iudicium propter privatum amorem facilius perdimus. Lib. I, c. XIV.

FUGA. — Ad seipsum oculos reflecte, et aforium facta caveas judicare. Ibid. § 2.

Quid ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic vel sic agit, vel loquitur? Tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso rationem reddes. Quid ergo te implicas? Lib. II, c. XXIV, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Heli Sacerdos Annam Eleane conjugem, dum Dominum in templo, toto corde deprecatur, ex laborum motu temulentam judicans, his verbis allocutus est: Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades. I. REG. I, 13.

Christus Judæis dixit: Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator et bibens vinum, amicus Publicanorum et peccatorum. LUC. VII, 33.

Simon Pharisæus videns Christum permittere, ut Maria Magdalena prociat ad pedes ejus, eosque rigare lacrymis, capillis extergere, et osculari, dixit intra se: Hic si Propheta esset, sciret utique, quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum, quæ peccatrix est. LUC. VII, 39.

S. Catharina Senensis de seipsa testata est, se subjectam fuisse huic vitio, dum dixit: Tradidisti mihi medicinam optabilem contra quamdam occultam ægriitudinem, quam ignorabam, nec illam agnoscebam, instruendo me, ne ullatenus ego judicare præsumam aliquam rationalem creaturam, et præcipue servos tuos, de quibus

aliquando velut ex cæcitate, et ignorans, hæc eram infirmitate corrupta; quia sub colorata specie tui honoris, atque salutis animarum, temere judicabam.

Rex Totilacum Cassium, Narvensem Episcopum, facie rubicunda præditum conspexisset, ideoque ut potui assiduo deditum contempisset, malignus Spiritus spatharium illius invasit, nec ante vexare destitit, donec ad S. Cassium adductus, ab eo liberatus est. S. GREG. I. III *Dial.* c. VI.

In vitis Patrum de sene quodam sexagenario et consummate perfectionis viro narratur, quod in Alexandriam concedens, omnium celebriorum meretricum in ea urbe existentium, conscripserit catalogum, et per quotidiani laboris mercedem ad singulas illarum sibi fecerit aditum, datisque illis stipendiis, easdem induxerit, ut per noctes ad suum illas haberet arbitrium. Ipse vero stabat a vespere in uno angulo cellule, ubi dormiebat mulier, psallens et orans pro ea, et mittens genuflexiones usque ad auroram. Unde meretrices frequentans, omni cum studio finem absecondebat rectum, quem in stipendiandis hisce mulieribus habebat, nimirum ne corpora sua prostituerent, iisdemque, ne id ipsum manifestarent, serio prohibebat; interea vero in urbe Alexandria male audiens, sinister de vita ejus conceptus quotidie magis invalescebat, adeo ut illum calumniarentur, in præjudicium quoque aliorum Monachorum, dicentes: Vere et ipsi homines sunt, ut omnes, His vero, qui ipsi persuadere conabantur, ut a mulierum istarum familiaritate, quam malam esse suspicabantur, imo judicabant, se subduceret, respondebat: Quid vultis ex me? Numquid iudices constituti estis super me a Deo? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me Deo non reddetis rationem. Unus est iudex, et sancta dies iudicii, qua singulis reddet secundum opera eorum. Tandem apud S. Joannem Eleemosynarium Patriarcham accusatus fuit, qui tamen ejus cum meretricibus inita familiaritatem malam esse, numquam sibi persuadere potuit, sicure ipsa mala non erat, sed sanctissima et plane irreprehensibilis. Convertit enim Vitalius (hoc senis hujus nomen erat) per continuatam hæc familiaritatem multas meretrices. Accidit vero, quod, dum matutino tempore domum ejusdam meretricis egrederetur, vir quidam fornicarius eandem ingrediens, validam illi impegerit alapam

cum dicta: Usque quo, pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitissimis? Qui dixit ad eum: Crede mihi, accipies alapam a me humilii, ut tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Paulo post vero vir sanctus in cella sua mortuus est, absque eo, quod illud de morte ipsius certior fieret. Interea vero ater quidam Dæmon ad instar Æthiopsis ei, qui illum percussisset, apparens in signem quoque ei colaphum retulit dicendo: Suscipe alapam, quam misit tibi Vitalius Abbas. Et eadens statim coepit spumare. Hæc autem alapa tanto cum rumore a circumstantibus audita fuit, ac si scopetum explosum fuisset, unde illic ecurrit civitas; ipse vero serios penitentiae actus exercebat, et quia a Spiritu maligno atrociter vexabatur, respiciens, ad cellam S. Vitalii occurrit, ut liberaretur, ubi et protinus ad solum cellæ illius aspectum desideratam obtulit gratiam. Dum vero porta cellule aperiretur, sanctum virum Dei genibus inmixtum veluti animam expirantem invenerunt, in pavimento autem legebantur digito inscripta hæc verba: Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid judicare, quoadusque veniat Dominus. In *Vita Patrum* cap. XXII, apud Rosicid. lib. I; in *Vita S. Joann. Eleemos.* fol. 297, c. XXXV.

Idem S. Patriarcha, alia quadam vice deceptus fuit, ut fidem adhibuerit accusationibus, quæ coram eo de Monacho quodam deponerentur, qui sæpius cum muliere quadam juvenula per civitatem incedere visus, fama publica laborare coepit, ac si ea tanquam concubina sua abuteretur. Sanctus itaque Patriarcha eum pariter et juvenulam acerbe fustigatos in carcerem retrudi præceperat, verum eadem nocte pius ille Monachus ei in somniis apparuit, eique humeros et dorsum lividum ostendens, his verbis eum est affatus: Hæc una vice errasti, ut homo; crede mihi, quia de proximo est vita et mors. Hisque dictis confestim disparuit. Illucescente diluculo experiri volens, an Monachus, quem in carcerem conjici fecerat, similis esset illi, quem viderat in somno, eum ad se accessit jussit, eumque Monacho, qui sibi apparuerat, simillimum videns, eunuchum, mulierem vero Hebream esse intellexit, quæ in Gaza Monachum conveniens, ab ipso in Fidei mysteriis instrui, et baptismi lavaero tingi petierat. Insuper dictus Monachus S. Joanni seriatim verba recensuit, quibus hæc sibi ab eo gra-

tiam fieri postulaverat : Cœpit narrare (inquiebat) verbis horribilibus, ut non permitterem perire eam ; timens itaque ego iudicium Dei, sumpsit eam æstimans, quod non immittit tentationem Satanas spadonibus. Illa igitur baptizata, tantam hinc inde conquisivit pecuniam, quæ ad eam in monasterium quoddam collocandam sufficere poterat. Cum hæc audisset Patriarcha, dixit : Papæ ! Quot absconsos servos habet Deus, et nescimus nos humiles ? MASSI, disc. vi, n. 4.

Theus Guerrius, Senensis, vir valde illuminatus, pietate notissimus, S. Philippo Nerio valde familiaris, maximeque ab eodem æstimatus, cum ad negotia Romam venisset, a S. Philippo hospitio exceptus, vidit vesperæ S. virum Dei una cum quibusdam Prælati hilariter admodum se gerere, simulque risu miscere : Quam ob rem ratus isthæc puerilem redolere levitatem, tentatione actus est, num revera tanta sanctitate floretet, quanta vulgus arbitratur. At cum mane insequenti ad S. virum culpas expiaturus accederet, quam de eo conceperat opinionem, omnino reticuit. Ad quem is : Caveas, inquit, o Thee, ne fide ad confessionem accedas, culpamque vel levissimam humanis de causis silentio involvas. Et cur, subjecti, confessus non es, quod heri vesperæ de me perperam cogitasti ? Admiratus est Theus, remque omnem aperuit, atque hominis sanctitatem veneratus, altiore de eo opinionem animo defixit. *In Vit. S. Phil. Neri* l. XIII, c. VIII, n. 7.

Surius, in vita S. Severini, Archiepiscopi Coloniensis, refert, quod dominus quidam, magnis natalibus oriundus, in die nupiarum suarum ab Angelo quodam, ad se sequendum eum invitante, in eremum quamdam ductus fuerit, in qua vitam per multos annos transegit austerissimam. Illic die quadam scire desideranti, quale sibi pro vita hac tam austeram in celo præmium præparatum esset, Deus revelavit, eum pari præmio donandum, quo Archiepiscopus Coloniensis. Quare ut illum, ejusque conversationem videret, Coloniæ profectus, Sanctum Severinum in throno quodam magnifico sedentem invenit, atque post finitam Missam, una cum aliis personis illustribus lautissimo convivio accumbere vidit. Tunc Eremita perterritus timere cœpit, ne hactenus ab eo in summa austeritate transacta vita, Deo parum grata fuisset, utpote pro qua altiori non esset

præmio donandus, quam is, quem in summa majestate et deliciis sedere conspexerat. Deus igitur, ut illum ab hoc errore liberaret, Angelum quemdam ei submisit, qui eum moneret, majori ipsum affectu, suspensæ ad cingulum lagunculæ adherescere, quam Archiepiscopum omnibus dignitatibus et felicitatibus humanis, quibus ipsum propitius mundus locupletare potuisset. *Scaurs, in Vita.*

Celebris est illa S. Ambrosii de S. Theodora a Tyranno in prostibulo exposita, descripta historia : Si quis vidisset ad sanctam hanc virginem ingredientem juvenem dissolutum, et militari vite addictum, quem sibi conceptum formaturus fuisset ? Et tamen audiamus, qualiter novellus hic Martyr Dydimus sanctam hanc virginem allocutus fuerit. Frater huc veni, inquit, salvare animam, non perdere ; serva me, ut ipsa servaveris. Quasi adulter ingressus, si vis Martyr egrediar. Vestimenta mutemus, sume habitum, qui abscondat feminam, trade, qui consecret Martyrem. S. AMB. lib. II de *Virg.*

Cardinalis Baronius ex Anastasio Sinaita, Episcopo Antiocheno, sequentem de Monacho quodam refert historiam. Hic enim cum in otio, magnaque negligentia suam transegit vitam, tandem infirmitate correptus, cum morti vicinus esset, non solum non timebat, verum etiam aperuit, gaudens, Deoque gratias agens ultimum suum expectabat vite finem, quem nonnulli ejusdem monasterii Religiosi, qui cum ipso familiariter egerant, convenientes, dixerunt ei : Frater, unde tanta hæc tua procedat securitas, scire haud quamquam possumus, utpote qui hactenus te usque in presentem horam cum summa negligentia vixisse vidimus ? Quibus moribundus respondit : Vere ita est, negligentissime inter vos vixi, verumtamen scire vos velim, Angelos Domini in hac eadem hora quamdam ad me attulisse chartam, omnia a me admissa peccata continentem, qui ea, quæ post dimissam secularem vitam commisi, mihi prælegentes me interrogarunt, an ea a me commissa esse agnoscerem, quibus ego subjunxi : Imo vero hæc omnia negare non possum, verumtamen certiores estote, quod ab ea hora, qua factus Monachus mundum reliqui, neminem unquam temere judicaverim, neque illatas mihi injurias recordari unquam voluerim. Ac proinde spero, ac Deum rogo, ut in me

quoque verificentur verba illa Domini, dicentis : « Nolite judicare, et non judicabimini ; » nec non illa : « Dimitte, et dimitte- tur vobis. » Quibus a me dictis, Angeli protinus dictam scripturam dilacerarunt, et ideo lætus et securus hinc recedo ad Dominum. Et post hæc verba placide suum spiritum emisit. *BARON. anno 599, p. 8.*

S. Dorotheus de sene quodam Monacho, nomine Amon, refert, quod, cum quidam zelo ardentem eum furore abissent ad accusandum quemdam Monachum, qui mulierem quamdam in cellam suam introducere præsumperat, ut vero idem Dorotheus ostenderet viscera charitatis Amonis, in hæc verba proruperit : Bone Deus, quæ miserationis viscera ostendit, quantum præ se tulit anima illa sanctissima charitatem ? Cum enim non ignoraret sub pithacio absconditam haberi, lateraque ibi ; ingressus cellam super pithacium sedit, jussitque ut cellam universam Fratres perscrutarentur, sed cum nihil penitus invenissent, dixit ad eos : Parcat vobis, Fratres, Deus. Quo facto, illos pene confusos dimisit, præmonuitque, ne facile quidquam adversus proximum crederent. Illum vero Fratrem correctione sua modestum ac sobrium reddidit. S. DOROTH. s. VI.

E celo impetrarat Daniel, Ægyptius Abbas, fecunditatem matronæ haud ignobili, cæterum quia frequens in ea domo servabatur, vicini Abbatis congressu mulierem gravidam esse factam arbitrato, perecebit is rumor, quo plus nimio commotus Daniel, puerum nuper edictum jussit in publicum portari, multisque mortalibus ad id spectaculum vocatis, aliis sua sponte affluentibus, infantem per Deum adjurat, ut dicat, quo esset patre genitus ? Hoc miraculo factum, ut puer liquido testatus sit, se legitimo toro, non adulterino natum. *SABEL. l. X.*

Beatus Franciscus etiam oblique suspitionis culpam in fratre castigavit. Cum enim pauperulo quodam sibi obviam facto nuditatem ejus dolens identidem ingemisceret, et Frater quocum una iter agebat, dixisset : Pater, etsi ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentia dives est ? Continuo ipsum tunicam suam exuere, et pauperem operire jussit, ut quem lingua læserat, ei beneficio satisfaceret. Præva igitur suspiciones, cum multisimè de crimine nihil constaret, sedulo vitandæ sunt, et licet semper vitari nequeant, quoniam homines sumus, ibi sal-

tem commoriantur, ubi orta fuerint, linguam contineamus, si cogitationes non possumus. *Ibid.*

S. Joannes Episcopus illos etiam, qui publice peccaverant, absentes carpi taxarique prohibuit, fieri enim posse, ut peccatum poenitendo diluissent, et iniquum esset, id ab homine petulanter exprobari, quod a Deo clementer condonatum esset. Itaque domesticos suos graviter increpuit cum quodam virginis raptorem duxissent. Et qui scitis, inquit, si ille jam peccare destitit, cum fortasse vos non peccare cessetis ? *Ibid.*

Germana, Monasterii Thebaidis soror, sorori Euphrasie per hebdomadam interdum perducta jejunia, quæ admirari debuerat, vitio dedit, ausa dicere iis ab illa nihil aliud, quam viam affectari, ut cæteris præsit, eo quod hoc jejunii genus nulla alia præter Abbatissam attentasset. Tantam in judicando temeritate Abbatissa nequaquam impunitam dimisisset, nisi Euphrasia de se obloquenti protinus veniam suis precibus exorasset. Qua sane ergo mulam benignitate ostendit, quam quoque sincero in Deum animo jejunaret, tanto tamen Germana malejudicans discessit confusior, quanto Euphrasia male audiens patientior. Et profecto inexpiable poena individua crimen est, ob hoc virtutem aliquam in altero mordere, quod eam ipse assequi posse desperet ; nam etiam Spiritui Sancto injuriam facit qui donum ejus in illo, cui datum est, petulanter suggillare contendit. *Ibid.*

FUGA. — Cum Deus olim Samuelem Prophetam in Bethleem ad domum Isai ablegasset, ad consecrandum Regem, qui Sauli successurus erat, nec tamen in specie declarasset ei, quemnam ex illis Isai speciatim ungere deberet, videns coram se Eliab, qui statura altus erat, hunc a Deo electum fuisse sibi persuasit, unde Deum interrogavit Propheta : « Num coram Domino est Christus ejus ? » Quæ respondit servo Dei : « Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem stature ejus, quoniam abijci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico ; homo enim vidit ea, quæ parent ; Deus autem intuetur cor. » *REG. VI. 16.* Quo loquendi modo Deus insinuare nobis voluit, quam facile decipiamur, si secundum externam apparentiam judicare velimus. Cum enim operationis humanæ malitia secundum actus internos metiri debeat, certum est, quod hos solos Deus videre et

ponderare possit, utpote qui manifestat consilia cordium, homo autem non nisi externa judicare potest. Sed et S. Chrysostomus, explanans verba illa Genesis: « Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; » sic discurrit: Docere nos vult, quod opus sit magna diligentia, et non auditu solo peccatores condemnandi sunt, neque sententiæ ferendæ, nisi cum probatio præcedat. Audiamus hæc omnes; non enim solum hi, qui pro tribunali sedent observare hanc legem debent; sed et nullus unquam ad nudam accusationem proximum condemnem. Ideo enim et posthæc Moyses Spiritu Sancto afflatus admonet dicens: « Auditum vanum ne accipias; » et B. Paulus scribens clamabat: « Tu autem cur judicas fratrem tuum? » S. CHRYS. hom. XLII, in *Genes*.

S. Matthæus priusquam referret, qualiter S. Josepho B. Virgine gravidam esse ignotum fuerit, hæc verba præmittit: « Joseph autem cum esset justus. » Hæc enim vite justitia et innocentia efficiebat, quod, licet Joseph in gravido Virginis utero partem ne non habere sciret, nossetque insuper, ex lege adulteras lapidasdas esse, nihilominus se minimam, in præjudicium Virginitatis Sponse suæ, suspicionem concipere præsumperit. Quod velim, audiant temerarii, inquit S. Paschasius, et discant inter causarum incerta diu secum ex reverentia timoris Dei, deliberare negotia, ne discrimine levitatis pressi, in deterius cadant. S. PASC. l. II, in c. 1. *Matth*. Porro factum hoc Josephi, Auctorem Operis Imperfecti induxit, ut in hæc verba exclamaret: O inestimabilis laus Mariæ; magis credebatur castitati ejus, quam utero ejus, et plus gratiæ, quam naturæ; conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilis esse credebatur, quam Mariam posse peccare. AUCTOR OPERIS IMPERFECTI, homil. 1.

David quantopere hoc vitium detestatus fuerit, ipsemet indicavit dicens: « Detrahentem secreto proximo suo hunc persequer. » Ps. c. Judicium igitur temerarium, quod in mentis cordisque nostri secreto formamus, occulte detractionis est species, quia scilicet, dum ipsum intra nos absque ulla manifestatione externa nihili facimus, injuste apud nosmetipsos et temerarie absque sufficienti fundamento, bonum conceptum, ho-

namque proximi nostri (qui non minorem reputabilis offensam et injuriam, dum suam apud te, quam apud quemcumque alium bonam perdidit æstimationem) eluimus et annihilamus famam. MANSI, tr. XLII, disc. 1, n. 6.

Christus, etsi peccata inimicorum suorum intime perspecta haberet, nihilominus tamen ea excusans ad Patrem dixit: Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. LUC. XXV. v. 34.

Joseph videns uterum Sponse intumescere, nequiquam tamen judicavit eam adulteram esse, sed maluit suspendere judicium, et miraculose conceptam prolem suspicari. MATTH. I.

S. Maria Magdalena de Pazzis vidit quandam Monialem per sexdecim dies fuisse purgatam, sed eas penas ob tres virtutes non modice fuisse imminutas. 1. Ob sollicitam curam, quam semper habuit puritatem et simplicitatem suæ Religionis conservandi. 2. Ob magnam charitatem, quam omnibus Monialibus exhibebat. 3. Quia semper omnia in bonam partem trahebat, et bene interpretabatur. VIRG. CEPAR. in *Vita*, c. XXIV.

Monachus quidam cum post vitam suam in otio aliisque vitiis male tractatam, nihil ominis in morte perquam lætus esset, quesitus, quæ causa esset hujus lætitiæ? respondit, paulo ante Angelum sibi adfuisse, omniaque sua peccata, quæ in tabula descripta habebat, spongia delevisse, eo quod per totam vitam neminem judicasset, adeoque verificari meruisse promissum Christi: Nolite judicare, et non judicabimini. BARONIUS, an. 599.

S. Joannes Eleemosynarius cum aliqui in præsentia illius de raptu Monialis ab adolescente quopiam facto murmurarent, compescuit illos dixitque: Nolite, Filii, nolite sic agere, nam ostendam vobis, quia et vos duo peccata facitis, unum, quia transgredimini mandatum dicens: Nolite judicare, et non judicabimini. Deinde, quia nescitis certo, si usque hodie peccent et non poenitent. Multoties enim peccatum fornicationis vidimus, poenitentiam vero ejus, quam fecit occulte, non aspeximus. *Vit. apud Rosveid.* c. XLVI.

Abbas Moyses accersitus, ut sententiam in Fratrem lapsum diceret, advenit sacco arena pleno onustus, rogatusque, quid ferret? respondit: Peccata mea; quæ quoniam

vix portare valeo, multo minus aliena portare possum. *Vita Patrum*, p. II.

Abbas Pastor interrogatus, qua ratione quietem in hoc seculo et futuro obtinere quis posset? respondit: Si in omni causa diceret: Quis sum ego? et non judicet quemquam. *Ibid.*

Anachoreta quidam, si aliquando Fratris eujuspiam sui lapsum cognovit, cum gemitu dixit: Hei mihi! ille hodie, ego cras. S. DOROTH. *Doctr.* 8.

DAMNUM.— Maria, soror Moysis, quæ temere fratrem suum propter uxorem Æthiopissam judicaverat, mox lepræ supplicio castigata est. NUM. XII.

Abbas Isaac, quia Fratrem quemdam temere judicarat, regressus ad eremum, ab Angelo aditu cellæ prohibitus est. Cumque intellecta hæc causa, Angelo supplex factus veniam peteret, respondit Angelus: Surge, ignoscit tibi Deus, sed deinceps ne judices quemquam ante, quam sit judicatus a Deo. *Vita PP.* p. II.

Abbas Machetes fassus est, tria fuisse, in quibus alios judicavit ac reprehenderit, sed in omnia tria paulo post ipsummet incidisse. Unde hortabatur unumquemque seipsum tantummodo judicare, non autem aliorum vitam discutere, eo quod manifestum sit, iisdem vitiis obligari Monachum, in quibus de aliis judicare presumpserit. CASSIAN., l. V, c. XXX.

Senex quidam cum a juvene ipsum visitante de Fratre quodam sinistrae famæ interrogaret, an needum ab ea liberatus esset? eoque negante, *Oh!* exclamasset, visus est statim in extasi coram Christo, in monte Calvarie in medio latronum pendente, consistere, cumque accedere ad adorandum Christum vellet, hanc ab Angelo vocem audire: Ejicite illum foras, quia Antichristus mihi est; priusquam enim ego judicem, ipse Fratrem suum judicavit. Itaque cum ejeceretur, pallium ejus in janua hesit, statimque ex somno et extasi evigilans narravit omnia Fratris, adjectique, hoc pallium divinum protectionem significare, quæ ob judicatum Fratrem privatus fuit. Quare septem integris annis a consortio humano, pane, et tecto abstinens, orationi vacavit, donec iterum Christum in monte Calvarie vidit, palliumque recepit. LANGIUS, *opuscul.* 19, c. I, n. 4.

Disposuit olim divina justitia severe castigare Core, Dathan et Abiron; quodnam

vero fuit illud supplicium, quod illis cœlestis immisit? Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum, devoravit illos, descenderunt vivi in infernum. (NUM. XVI.) At vero quoniam hæc inaudita, et a principio mundi ad illud usque tempus nunquam practicata pena collimavit, ut scilicet præsciti illi, vivi in infernum commigrarent? Nimirum poena ipsorum culpæ condigne respondit. Ipsi namque, ut Lyranus et Abulensis asserunt, adversus duos fratres, Moysen et Aaron malignati fuerant, dum illos temere judicarent, ac si ex propria ambitionis motivo, populo Dei dominari, in eumque tyrannidem exercere voluissent. Ideoque priusquam in abyssum deturbarentur, Moyses causam suam justificare volens, inquit: In hoc sciatis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. Si consueti hominum morte interierint, non misit me Dominus. Si autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, descenderintque viventes in infernum, sciatis, quod blasphemaverint Dominum.

S. Antoninus de duobus Fratribus, qui servitio Dei cum fervore intenti eremum incolabant, refert, eos ad tantam pervenisse puritatem et perfectionem, ut saepe unus super capite alterius splendidissimos viderit lucis radios, clara supernæ gratiæ indicia. Accidit autem, quod dum Sancti Patres illius solitudinis, in qua demorabantur, illos inviserent, unus ex duobus hisce Fratribus Monachum quemdam in feria sexta ad horam Tertiarum, manducantem conspicens, illum jejuniū, quod tunc hanc seculi ac si præceptum fuisset, inviolabile esse censebat, transgressum fuisse, temere judicavit. Qui, cum ad cellulam suam revertetur, Frater ejus natu major solitos super ejus caput splendoris minime videns, illum, an conscientia alicujus culpæ illum redargueret, interrogavit, eo quod nullus super eum lucis radius splendescere conspiceretur? Qui rigidum circa se ipsum examen instituens, nihil aliud invenit, præterquam temerarium illud judicium, quod de illo Eremita sibi formaverat. Intellexit ergo major natu, illud temerarium judicium fuisse causam illius subtractionis gratiæ, justam enim causam potuit habere ille solvendi jejunii. S. AXROS. p. II, tit. III, num. 8.

In vita S. Auxentii, Presbyteri Archimandrita, Bollandus de impio quodam homine refert, quod, cum ab amico suo rogaretur, ut secum ad Sanctum illum Archimandritam ad recipiendum salutis monitum concederet; ille diabolico quodam instinctu ab eo alienus, non solum non fuit persuasus, ut iret, sed etiam eum cepit maledictis incessere et irridere, eum vocans impostorem. Cumque nihilominus ambo ad Sanctum virum Dei accessissent, ab eodem summa cum charitate accepti fuere; verumtamen illum, qui incredulus erat, ne verbo quidem affatus est, propter quod is ab inde recedens, pluribus rursus maledictis B. Auxentium insectatus est, ut qui glorie causa, et non virtutis, quidquam faceret. At vero quamnam suæ hujus temeritatis poenam retulit? Nimirum in itinere obvium quemdam filiorum suorum habuit, qui vestem sibi lacerans inconsolabiliter plorabat, a quo cum fletus sui causam interrogaret, neque is eam pandere audebat, tandem patris importunitate victus dixit, filiam ejus forlitter a Dæmone vexari. Tunc ille stimulo motus conscientie cepit faciem suam percutere, et vellere capillos suos, et magna voce clamare: Vae meae incredulitati! Cumque ad penitentiam reductus, ad Sanctum Dei virum recurrere, et erroris sui veniam postulare moneretur, hic bona aliorum consilia sequens, subito filiam suam a Spiritu maligno, se vero ab ejus malignitate liberum esse factum, expertus est. BOLLAND., t. II, *Februarius*, 14.

In vita S. Philippi Neri scribitur, quod, anno 1559, adversus visitationem septem Ecclesiarum, quas ille instituerat, quasque cum ingenti hominum concursu ad hæc usque tempora, feria 3, post Dominicam Sexagesimæ, ad declinanda Bacchanaliorum pericula, Patres Congregationis ab eo instituta, continuare solent, sæva suscitata fuerit persecutio, siquidem arguebant eum, quod ex superbia, tanta populi multitudine congregata, totius urbis oculos ad se niteretur convertere, crevitque hic persecutionis strepitus eo usque ut ad Vicarium Summi Pontificis in alma Urbe rumor ille tandem pervenerit, qui malevolorum sermonibus promotus, Philippum accersiri jubet et accedentem acrius his verbis objurgat: Non te pudet, inquit, hominem, qui mundi contemptum profiteris, ut auram popularem colligas, tanta stipatum turba per

urbem incedere, tibi que his rebus Ecclesie dignitates auferri? At vero quemnam res hæc tandem finem habuit? Nimirum Prælati iste, prout ei prædictum fuerat, intra quindecim dies miserabiliter mortuus occubuit, sicque persecutio cessavit, Sanctique viri Dei bona et recta intentio omnibus per signa miraculosa manifestata evasit. In vita S. Phil. Ner. l. I, c. x.

Michol Regem conjugem suum in processione solemniter coram Arca saltantem videns, despexit eum in corde suo, hisque probris et convitiis est aggressa: « Quam gloriosus hodie fuit Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de securis? » L. II, REG. c. vi. 16. Et tamen constat, quod omnes SS. Doctores hanc solam Davidis actionem omnibus victoriis et triumphis ab inimicis suis reportatis generosior esse asserant. Unde celebris est illa Gregorii Magni sententia: Ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Advertendum est autem, quod subito condignum Michol uxorem suam, eum iridentem, exceperit supplicium, siquidem sterilitate punita fuit, quæ illo tempore in populo Dei manifestum erat divinæ maledictionis indicium; unde sacer Textus, postquam sinistram Michol judicium retulisset, confestim subjungit: « Igitur Michol, filia Saul, non est natus filius usque in diem mortis suæ. » (L. II, REG. c. x. et c. XII, 29). Porro incomparabiliter major poena fuit, quæ Ammonitis immissis legitur, ob judicium quoddam sinistram, quod de legatis David formaverant, dum eosdem regionis Ammonitarum exploratores esse censuerant. Quid vero regis legatis intulerint, notum est omnibus, quia contra jus gentium ministros publicos pessime tractarunt; David, licet de mansuetudine sua gloriari non dubitavit, dicendo: « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus », nihilominus adeo atroci poena illos mulcavit, ut atrocior in historiis tam sacris quam profanis haecenus nunquam lecta fuerit, nec legatur deinceps.

In *Prato florido* legitur, quod in Regno Lusitaniæ, juvenis quidam fuerit in Religione conspicuus, multisque virtutibus dotatus, et orationis exercitio plurimum deditus, qui tamen ad contemnendum alios, eorumque actiones sinistre diducandas, pronus et facilis fuit. Hic igitur post mor-

tem amicis suis apprensus dixit, quod, tametsi ob conservatam virginitatem, multasque effusas lacrymas in salvo esset, nihilominus in Purgatorio graviter arderet, ob nimis pronam alios judicandi, et contemnendi, consuetudinem. *Pratum florido*. p. II, l. IV, c. XXXVII.

Idem auctor aliud quoddam valde peregrinum narrat vindictæ divinæ in sinistre judicantes exemplum. Sibi namque a multis Scriptoribus, quos nominatim specificat, relatum fuisse dicit, quod, an vere, ut scribitur, acciderit, prudentis lectoris fidei arbitrandum relinquat. Margarita enim olim Hollandiæ Comitissa pauperulam quamdam feminam duobus infantibus, quos uno partu enixa fuerat, onustam videns, eam illos ex adulterio genuisse temere judicavit; et tanquam adulteram publice calumniata fuit. Quæ calumniam hanc sibi injustam eum dolore audiens, Comitissa respondit: Ego tametsi pauper et egenam sim, mulier tam sum boni nominis et honesta, neque hujus mihi injusti criminis vel minimum conscia, ac proinde Deum obsecro, ut ad innocentiam meam tutandam testimonium circa te disponat, ut tot filios unico partu enitaris, quot sunt dies in anno. Nec diu suspensum est justum Dei judicium, qui in hujus temerarii judicii poenam post non multos menses, trecentos sexaginta quinque filios unico genuit partu, qui omnes vivi simul ab Ottone Episcopo sacri Baptismatis undis abluti fuere. Ibid. c. LXX.

Celebre quoque est, quod S. Greg. in Dialogis suis de Totila recenset, qui S. Cassium sanctitate insignem, in vultu rubicundum nimis esse cernens, ruborem hunc a nimio vino potato processisse judicavit; Deus autem servi sui causam tuere volens, disposuit, ut Dæmon scitiferum ejus ingrederetur, qui cum a S. Episcopo miraculose a tartareo hoc hospite liberaretur, Totila judicium suum, quod de viro Dei temere formaverat, agnovit et damnavit. S. GREG. l. II *Dial.* c. vi.

B. Dorotheus historiam adducit in vitis Patrum contentam; ast priusquam eam commemorare incipiat hæc præmittit verba: Cur Dei judicium nobis usurpamus? Quid ad nos creaturæ ejus? Nonne contremiscere debemus, cum id, quod magno seni illi acciderit, audiamus? Qui cum audisset quemdam ex Fratribus in fornicationem incidisse, dixit: O quam malè egit! An nescitis,

quam horrenda res de ipso narratur in libro Seniorum? Nam Angelus sanctus in illius, qui peccarat, cum jam ex hac vita migrasset, ad senem tunc detulit, et ait illi: Ecce quem judicasti, vita functus est, quo igitur animam ejus jubes deferri? Ad colorum Regnum, an ad penas æternas? Moxque idem Sanctus finem, quem Deus in seniore hoc, quantumvis sancto, sed ad sinistre judicandum proclivi, habuit, interpretari satagit, dicens: Quid quaso aliud innuere seni volebat Angelicus sermo, quam hoc? Quoniam tu jam judex ac censor es justorum, simul et peccatorum, quid fieri jubes de hac misera anima? Censens misericordia dignam, an pœna et cruciatu. Quæ quidem horrenda visione adeo perculsus est senex ille sanctissimus, ut reliquum vite suæ tempus, in gemitibus et lacrymis, in innumeris ærumnis et laboribus egerit, Deum assiduis precibus fatigans et pulsans, ut veniam tanti sceleris, et erroris concederet. Ad pedes itaque Angeli se prosternens, veniam petit de culpa, moxque ab eodem audit: Ecce ostendit tibi Deus, quam grave sit, proximum judicare, ne posthac amplius rem hanc commiseris. S. DOROTH. serm. VI.

Hoc ipso temerarii judicii opprobrio et vituperio Dæmon nos onerare satagit. Quemadmodum ex vita colligitur S. Mariæ Magdalene de Pazzi, Carmelitana, cujus sanctæ virginis sinistram ut in Sororibus fundaret conceptum, ejus assumpsit figuram; et quia in pane et aqua jejunare solita erat, impostor culinam ingreditur, et in coque absentia partem carnis e lebetæ aufert, moxque obvius cuidam moniali grave præbuit scandalum. Nec mora, mox enim rumor facti per totum vagari cepit monasterium; ast serpentis maligni discooperitum fuit stragema; siquidem eo ipso tempore Sanctam in domo Capitulari pro Communione faciendâ fuisse, compertum fuit. Alia pariter vice eandem Diabolus assumens formam, tempore nocturno res abstulit aliquas comestibiles; sed et ex Novitiæ ejusdam relatione, omnes certifficatæ fuerunt Sorores, Sanctam toto illo tempore, quo dictum factum memorabatur admissum, nunquam ex novitiati Oratorio egressam fuisse. *Vita*. l. I, c. VII, n. 10.

S. Henricus Imperator communi consensu virginitatem perpetuam coluit cum Imperatrice Cunegunde uxore sua, et nihilominus non una, sed vicibus trinis, ex conjugis

thoro quemdam exire vidit in forma militari, unde et sinistram formare cepit concepit; sed demones, qui ut malum de Sancta judicium suscitaret, dictum habitum induerat, illusionem fuisse, tandem didicit, quando sanctæ conjugis innocentia miraculo probata est. MANSI, dis. II, n. 6.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, siquid alicui Sociorum alienum vitium in communi sermone excidisset, vel elevabat factum, vel excusabat animum et voluntatem. Quid si rei atrocitas excusandi, minuendique omnes aditus præcluderet, eo perfragiebat: Nolite ante tempus judicare. Deus solus intuetur cor. Domino suo quisque stat, aut cadit. Cum gravissime: Ego quidem certe hoc non fecissem. Ut illud Domini præceptum penitus in ejus animo insedissem videretur: Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. (RIBAD. I. V. vit. c. VI.) Hinc ob consuetudinem hanc S. Patris natum domi nostræ proverbium fuit, ut, si quid vel simpliciter dictum aut factum eredebar, *Interpretationes Patris* vocarentur, quemadmodum Ludovicus Gonsalvus apud Lancizium testatur. LANCIZ. ep. X, c. XX, n. 210.

De B. Aloysio ad probandam ejus sanctitatem Auditores Rotæ Romæ inter alia etiam hoc afferunt, pag. 31, quod aliorum dicta vel facta in meliorem partem excusaret, vel interpretaretur. Idem, op. XIX, n. 195.

EXEMPLA PROFANA.

Socrates, si occasio se offereret, de rebus ad se non pertinentibus judicandi, dicere solebat: Quæ supra nos, nihil ad nos. LAERT. I. c.

Hippomachus pugilandi magister, cum quidam ex ejus discipulis specimen artis exhiberet, ideo populus ei applaudebat, virga eum percussit, dicens: Si bene te gessisses, non hi te collaudarent; quo dicto, innuere voluit, eos, qui bene aliquid gerere, ideoque laudari cupiunt, id non a plebe, sed a magistris illius artis expectare debere. *ELIAN. Hist.*

Apelles tabulas a se pictas ante domum exponere, hominumque de iis judicia audire

solitus, cum aliquando sutor quispiam crepidas non rite factas diceret, patienter tulit. Ubi vero etiam de crure aliisque membris judicium ferre cepit, indignatus prospexit, dixitque: Sutor, ne ultra crepidam. LANCIZ, in *Polyant.* fol. 617.

Creditus est Titus, Vespasiani filius, quia Jerosolymis eversis, non illico Romam venisset, de regno meditari. Creditus id pater, crediderunt et multi. Cæterum Titus omnium opinione celerius ad ejusmodi falsos de se rumores coarguendos sese patri ex improviso obtulit. Veni, inquit, pater, veni! quæ suspicio discussa est, principate et Per civitati vana opinio merito exprobrata. SABEL. X.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est; sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui malus est. S. CHRYS. serm. *sup. Matth.*

Sicut bonus et probus uvæ lector matura acina comedens, acerba legere nunquam patietur; sic grati et probati viri animus quotquot in aliis virtutes inspexerit studiosissime notabit; insipienti vero querelas defectusque perscrutabitur.

Sicut columna in templo si steterit recta, accepto pondere amplius confirmatur; si autem modice obliqua fuerit, accepto pondere non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus; sic et cor hominis, si rectum fuerit, videns opera viri alienjus justii, aut audiens, per doctrinam sapientie ejus amplius confirmatur; si autem fuerit perversum cor, videns opera viri alienjus justii, aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. S. CHRYS. h. XVIII *ad Pop.*

Sicut corpora mali humoris, quidquid cibi sumpserint, quodammodo perimunt; sic anime male dispositæ unaquæque res quamvis bona et utilis, suo vitio nocet. S. DOROTH. *doct.* XVI.

Sicut stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed statum ejus, et frenam, sic stullissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. SENECA, ep. XLVII.

Sicut phantasia in cælo Leonem, Scorpionem, varique spectra effinxit, cum sint lucidissimæ constellationes; ita plerumque

homines, sceleratissimos judicant eos, qui luceant tamquam stelle firmamenti. ENCELGA. t. I. *Dom. 1 post Pent.* § 2.

Sicut per vitrum rubrum aut flavum prospiciens, omnia judicat rubra aut aurea; ita pro affectione animi de aliis judicamus. *Ibid.* § 3.

Sicut cucurbitæ, quod in carne deterrimum est, ad se trahunt; sic improborum animi deterrima quæque cogitando et suspirando ad se trahunt. STAEL. in *Dom. 1 post Pent.* 1. 2.

Sicut, qui impetigine laborat, perpetuum affricatum desiderat; sic quovis pravo desiderio affectus idem alteri affricare cupit, ut vel aliorum malis quasi similibus se oblectet; vel sua mala ex aliorum comparatione justificet, aut communiore alleviet. *Ibid.*

Sicut algent viscera, cum naturalis calor ad externa corporis membra diffunditur; sic circa alienos defectus notandos ideo solliciti sumus, quia nostra negligimus. *Ibid.*

Sicut ii, quibus domi nullum est negotium, in foro obambulant; sic qui in exploranda vita sua negligentis sunt, in aliena judicanda curiosi sunt. *Ibid.*

Sicut venti illi omnium sunt molestissimi, qui pallia nobis avellunt; sic illi quoque homines, qui temere judicant, et secretissima violenter expandunt, merito præ cæteris odio habentur. *Ibid.*

Sicut qui infirmum habet palatum omnique cibi patitur inappentiam, omnis cibus, quantumvis sit delicatus et sapidus, illi insulsus et insipidus esse videtur; ita quoque, ut S. Chrysostomus ait: Donec inter nos malevolum gerimus animum, et vox audita nobis aliter sonat, et ipsam faciem corrupta mente aspicimus. MANSI, d. I, n. 4.

Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus; sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus. *ACT. OPER. IMPERF.* h. III.

Sicut non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum, quare hoc, vel hoc, fiat. Unde quidquid aliquo modo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretetur, si volumus tranquillum cor nobiscum habere, et cum aliis, et alios non turbare, et Deum non offendere, quia sæpe judicamus malum esse, quod in se non est malum. S. BONAV. tom. VII *de Prof. Rel.* I. c. I, 7.

Sicut ex eodem pulchro, venusto atque odorifero flore mel colligitur, suave et salu-

tiferum, necnon venenum amarum et mortiferum. (Que tanta rei hujus differentia? Forsitan in flore consistit? Nequaquam; sed totum penes animalia, quæ iis insident, est discrimen. Apis mel sugit, aranea vero virus, quia aranea est.) Ita quoque homo virtute et charitate præditus, omnia, quantumvis apparenter mala, in meliorem interpretatur partem, aut indifferentia reputat, aut judicium suspendit; quia scilicet, ut Apostolus inquit, «charitas non cogitat malum, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,» etiam peccata, ut glossa subnectit. Contra vero cor malignitate plenum, semper ad malum inclinatur, licet actio proximi indifferens sit, dicente Scriptura: «Impii autem replebuntur malo.» MANSI, d. II, n. 7.

Sicut contrarius est ignis aquæ; ita quemque velle judicare, repugnat illi, qui de suis peccatis vult ex animo poenitere. S. JOAN. CLIMAC. grad. X.

Sicut qui imaginem Christi in luto jacentem invenit, reverenter eam levat, lavatque, et in luto nequaquam manere permittit; eodem modo, qui veram charitatem habet, et proximum nostrum, qui est imago Dei, nonnumquam defectui vel vitio alicui manifeste immersum esse deprehendit, illum corrigere studet, eique compatitur, et si defectus non sint publici, eos pro viribus celat. Si vero sint incerti, male de illis non judicat, quia charitas operit multitudinem peccatorum. MANSI, d. X, n. 8.

DAMNUM. — Sicut magna utique et omni severissimo supplicio dignissima arrogantia foret, si subditus aliquis Regi, in throno sedenti, et diademate regio redimito, sceptrumque in manibus ferenti, coronam et sceptrum violenter eriperet; hoc autem facit omnis ille, qui proximum de oculis cordis sui temere judicat. Audiamus eumdem Sanctum Bernardinum id clare his verbis dicentem: Quando tu judicas, accipis sceptrum de manu Dei, et iste est modus præsumptuosus, et huic dicit Paulus: «Tu qui es, qui judicas alienum servum, quia Domino suo stat,» scilicet judicare, si bene vel male facit, quia tibi non est datum judicare, sed potestatis in hoc mundo per justitiam, et Deo super omnia. S. BERN. *Ser.* tom. IV, s. XXVII.

Sicut deficiente stomacho calore naturali ad cibum digerendum requisito, quantumvis cibus delicatus et substantiosus sit, illum